



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Art. 1. Utrùm peccatum mortale inducat maculam, & quotuplicem inducar.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83594](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83594)

ex qua secutura erat; quia voluit illam saltem interpretativè, & volendo, liberè & scienter transgressus est præceptum positivum, quod præcipiens actum, hoc ipso prohibet omnem ejus nolitionem, sive formalem, sive interpretativam tantum.

Dices. Omissio in casu proposito puniatur. Ergo est peccatum formaliter. *Resp.* neg. conseq. Nam ut justè puniatur, sufficit quòd sit effectus peccati, moraliter perseverantis. Sic in non renatis, juxta S. Augustinum, puniuntur concupiscentia, non quia est peccatum formaliter, sed quia est effectus peccati, moraliter permanentis in posteris Adam, donec renascantur. Vel, si vis, quod eodem redit, omissio in casu proposito puniatur, quia cum actu, quo causa illius posita est, moraliter permanente, & ipsam moraliter informante, constituit totum quoddam in æstimatione morali, quod pœna dignum est: sicut, juxta doctrinam S. Augustini, concupiscentia puniuntur in non renatis, quia cum peccato Adam in illis moraliter permanente, ipsamque moraliter informante, constituit totum quoddam in æstimatione morali, quod odio Dei & pœna dignum est.

DISPUTATIO IV.

De macula & pœna peccati.

ARTICULUS I.

Utrum peccatum mortale inducat maculam, & quotuplicem inducat.

RESPENSIO I.

Actu peccati physicè præterito, manet aliquid in homine, vi cuius verè dicitur peccator & maculatus, donec illi peccatum ab eo commissum, & physicè præteritum, condonetur.

Prob. 1. pars, ex Script. Nam Luc. cap. 5. dicitur: *Exi a me, quia homo peccator sum, Domine.* Et cap. 7. *Mulier, quæ erat in civitate peccatrix.* Et Matth. cap. 9. *Multi publicani & peccatores...* discubebant cum Jesu. *Prob. etiam 2. pars ex Script.* Nam dicitur Josue cap. 22. *Usque in presentem diem macula hujus sceleris in nobis permanet.* Et Hierem. cap. 2. *Maculata es in iniquitate tua coram me.* Et Matth. cap. 15. *Quod procedit ex ore, hoc co inquinat hominem.* Hinc quibus peccata remittuntur, dicuntur ablui & mundari. Sic dicitur 1. Cor. cap. 6. *Abluti estis, sanctificati estis.* Et 2. Corinth. cap. 7. *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus.*

RESPENSIO II.

In homine peccatore duplex est macula, quarum prima consistit in peccato commissio, physicè quidem præterito, sed moraliter permanente, donec condonetur; altera verò in privatione gratiæ sanctificantis, ut voluntaria in peccato, cuius est effectus.

Et 1. quidem, quòd peccatum commissum, physicè præteritum, sed moraliter permanens, sit macula, facillè probatur. Nam illud deturpat & fœdat animam, quod eam reddit Deo odibilem: quid enim potiori jure fœdum & turpe dici potest, quàm illud, quo anima Deo invisibilis efficitur? Atqui peccatum mortale tandiū reddit animam Deo odibilem, tandiū in ea moraliter permanet. Ergo tandiū in ea moraliter permanet, tandiū deturpat & fœdat eam. Hinc illud Hier. cap. 2. *Maculata es in iniquitate tua coram me.* Et illud Apocal. cap. 22. *Qui in sordibus est, sordescat adhuc:* Qui jam plurimorum reus est peccatorum, prioribus nova superaddat. Vides peccata in Scriptura sordes nominari.

Dices. Ut peccatum commissum, & physicè præteritum, per se maculet animam, tandiū non con-

donatur, requiritur saltem ut in se moraliter perseveret, donec condonetur. Atqui non perseverat moraliter in se, sed tantum in effectu suo, nempe in privatione gratiæ sanctificantis. Ergo non potest animam maculare per se, sed ad summum per solam privationem gratiæ sanctificantis. *Resp.* neg. min. Et dico omne peccatum commissum, quamvis physicè præteritum, adhuc, donec condonetur, permanere in se, non quidem physicè, sed moraliter, seu in æstimatione morali; vel, si vis, quod eodem redit, permanere in se, donec condonetur, non quidem actu & formaliter, sed virtualiter & æquivalenter, in ordine ad maculandam animam. Quod ut intelligas,

Observa. Cum quodlibet peccatum mortale sit gravis offensa Dei, ex quolibet peccato mortali nascitur in peccante dignitas ad odium & pœnam, & in Deo jus ad odiendum peccantem, & illum puniendum. Quod jus ex natura rei manet integrum Deo, quamvis peccatum physicè prætereat; & tandiū manet integrum, tandiū non ei renunciat Deus, seu, quod idem est, tandiū Deus peccatum, physicè præteritum, non condonat. Unde peccatum commissum, quantumvis physicè præterierit, perinde se habet ex natura rei in ordine ad dignitatem odii & pœnæ in peccatore, & jus indignandi & puniendi in Deo, perinde, inquam, se habet ex natura rei, donec à Deo condonetur, ac si adhuc esset actu & physicè præsens. Ergo tandiū non condonatur à Deo, in ordine ad effectus illos morales ex natura rei permanet virtualiter, æquivalenter, moraliter, seu in morali æstimatione, & in ordine ad effectus illos morales æstimari potest & æstimatur ut actu & physicè præsens. Ergo tandiū à Deo non condonatur, tandiū virtualiter, æquivalenter & moraliter in se permanet in ordine ad effectus illos morales. Atqui tandiū in se permanet aliquo modo in ordine ad effectus illos morales, tandiū eodem modo in se permanet ad maculandam animam: dignitas enim ad odium & pœnam æternam non potest non esse quædam animæ fœditas & turpitudine. Ergo tandiū peccatum, physicè præteritum, à Deo non condonatur, tandiū in se virtualiter, æquivalenter & moraliter permanet in ordine ad maculandam animam; & consequenter peccatum, physicè præteritum, per se & secundum se maculat animam, tandiū à Deo non condonatur.

2. Quòd etiam privatio gratiæ sanctificantis, ut causata per peccatum, sit animæ macula, probatur. Quia illud maculat animam, propter quod anima est Deo odiosa. Atqui anima Deo odiosa est propter privationem gratiæ, per peccatum inductam; Deus enim odit animam peccatorem, quia sua culpa caret ornatu, nitore suo, pulchritudine sua, seu quia sua culpa caret gratia, quæ est ornatu, nitor & pulchritudo illius. Ergo, &c. Hoc argumentum suggerit S. Thomas hic quæst. 86. art. 1. ad 3. ubi sic ait: *Macula non aliquid positivè in anima, nec significat privationem solam, sed significat privationem quandam nitoris anime in ordine ad suam causam, quæ est peccatum.* Privatio igitur gratiæ sanctificantis, saltem ut conjuncta cum culpa moraliter permanente, cuius est effectus, & ab ea moraliter informata, est quædam animæ difformitas & turpitudine, propter quam Deo ingrata est & invisibilis.

Dices. Deus non potest esse causa maculæ animæ, Atqui tamen est causa privationis gratiæ sanctificantis: sicut enim solus Deus producit gratiam sanctificantem, ita solus illam corrumpit, subtrahendo concursum illius conservativum. Ergo falsum est, quòd privatio gratiæ sanctificantis sit animæ macula. *Resp.* Deus nec est nec potest esse causa maculæ morali animæ, quia macula morali animæ consistit in peccato, cuius Deus nec est nec potest esse causa. At potest causare maculam physicam animæ; potest enim in vindictam peccati commissi subtrahere concursum conservativum gratiæ sanctificantis, ex qua subtractione consequitur gratiæ sanctificantis carentia

rentia in subjecto, cui gratia sanctificans debetur ratione status elevationis, & quod illam sua culpa demeretur. Unde Deus in vindictam peccati commissi potest causare in anima eo modo, quo causari potest, gratia sanctificantis privationem, qua anima foedatur & deturpatur. Sicut iudex in vindictam criminis per ministrum iustitiae potest inungere notam fronti rei, qua reus foedatur & deturpatur.

Dices. Si privatio gratiae est macula animae, qui privabitur majori gratia, maiorem habebit maculam. Atqui hoc est falsum; alioquin qui iustior est, propter peccatum non gravius, aut etiam minus grave, contrahet maiorem maculam; quia propter peccatum non gravius, aut etiam minus grave, privabitur majori gratia. Ergo, &c. *Resp. neg. seq. major.* In tantum enim moraliter peccans maculatur per gratiae privationem, in quantum privatur ornatu, nitore & pulchritudine debita, & consequenter in quantum privatur gratia debita. At qui propter peccatum privatur majori gratia, privatur quidem gratia debita, unde maculatur per gratiae privationem; sed non privatur majori gratia debita, unde non magis maculatur per privationem maioris gratiae. Itaque qui iustior est, & per peccatum non gravius, aut etiam minus grave, amittit maiorem gratiam, non maiorem contrahit maculam physicam, quam qui minus iustus est, & ita per peccatum mortale minorem gratiam amittit, sed uterque aequalem maculam physicam contrahit, quia uterque privatur gratia debita, & neuter privatur majori gratia debita. Ratio est, quia nemo ratione status elevationis in quo est, tenetur habere talem vel tantam gratiam, sed sufficit, si habeat gratiam.

COROLLARIUM.

Peccatum habituale est complexum ex actu peccati, physice quidem praeterito, sed moraliter permanente, tanquam parte formali, & privatione gratiae sanctificantis, tanquam parte materiali.

Prob. Nam peccatum habituale est illud totum, quo maculatur homo habitualiter, postquam moraliter peccavit. Atqui, ut probatum est art. 1. homo maculatur habitualiter per actum peccati moraliter permanentem, donec condonetur, & effectum ejus, nempe privationem gratiae sanctificantis. Ergo, &c.

Confirm. Peccatum habituale consistit in eo, propter quod homo, postquam peccavit mortaliter, habitualiter invisus est & odiosus Deo, atque poenae aeternae obnoxius: talem enim hominem nomine peccatoris intelligimus. Atqui homo, postquam peccavit mortaliter, donec Deo reconcilietur per justificationis beneficium, habitualiter illi invisus & odiosus est, atque obnoxius poenae aeternae propter gravem culpam, moraliter praesentem, & privationem gratiae sanctificantis, gravi culpa inductam: Deus enim post peccatum mortale commissum odit animam, quia turpis & foeda est. Turpis autem & foeda est propter gravem culpam, moraliter praesentem, & voluntariam ornatus, nitoris ac pulchritudinis debitae carentiam. Ergo, &c.

Porrò, ut in assertionem dictum est, in complexo illo, quod habituale peccatum constituit, actus peccati, moraliter permanentis, est pars quasi formalis; privatio vero gratiae sanctificantis, pars quasi materialis. Ratio est, quia illud in peccato habituali se habet per modum partis formalis, quod est praecipuum in eo, & est per se ac ratione sui culpabile; illud vero se habet per modum partis materialis, quod est in eo minus praecipuum, & non est per se ac ratione sui culpabile, sed tantum ratione alterius. Atqui actus peccati, moraliter permanentis, est id quod praecipuum est in peccato habituali, & per se ac ratione sui culpabile; est enim per se ac ratione sui culpa: privatio vero gratiae sanctificantis est id quod est minus praecipuum, nec est per se ac ratione sui culpabile, sed tantum ratione alterius; non enim est culpa, sed effectus culpae; nec culpabilis est, nisi quia

est effectus culpae; unde nec à Deo imputatur homini, nisi quia sua culpa illam incurrit. Ergo, &c. Bene igitur & cum fundamento in re actus peccati, moraliter permanentis, dicitur se habere per modum partis formalis & determinantis partem ad constituendum unum quoddam totum, quo homo efficitur habitualiter culpabilis coram Deo, & quod proinde habituale peccatum nominamus.

Obj. 1. Peccatum habituale debet esse aliquid adaequatè intrinsecum peccatori: denominatio enim peccatoris est adaequatè intrinseca. Atqui actus peccati, postquam physice praeteriit, non est amplius in peccatore. Ergo, &c. *Resp.* actus peccati, postquam physice praeteriit, non esse quidem amplius actu & physice in peccatore; sed, quod sufficit, in eo, quando non remittitur, virtualiter, aequivalenter & moraliter remanere in ordine ad reddendum illum obnoxium odio Dei & poenae aeternae. Actus igitur peccati, postquam physice praeteriit, moraliter in homine permanens cum privatione gratiae sanctificantis, constituit illum habitualiter injustum & peccatorem, donec Deo reconcilietur. Quid enim aliud est homo injustus & peccator, quam homo spoliatus gratia sanctificante, & obnoxius odio Dei, ac poenae aeternae?

Dices. Si peccatum habituale consistit etiam ex parte in peccato praeterito, peccatum habituale non potest tolli à Deo. Absurdum conf. Ergo, &c. *Prob. seq. maj.* Quia Deus facere non potest, ut commissum non fuerit peccatum, quod re vera commissum fuit. *Resp. neg. seq. maj. Ad prob. Resp.* Non posse quidem fieri, ut nunquam fuerit commissum peccatum, quod re vera fuit commissum; sed fieri posse, ut perinde se habeat in aestimatione morali, ac si nunquam fuisset commissum; quod sufficit ad tollendum habituale peccatum, quantum est ex parte ipsius formalis. Dico igitur Deum condonando peccatum, & infundendo gratiam, tollere peccatum habituale: tollit enim & privationem gratiae, inductam per peccatum praeteritum, & ipsum peccatum praeteritum, quia eatenus condonat peccatum, quatenus cedit iuri, quod habet ad odiendum peccatorem, & puniendum illum poena aeterna. Per hanc autem cessionem, peccatum quod jam erat physice praeteritum, sed adhuc moraliter permanebat in ordine ad justam Dei indignationem justamque animadversionem, in ordine ad utramque incipit perinde se habere in aestimatione prudenti, ac si non fuisset commissum, quia hac cessione facta, Deus jam non magis potest justè odisse hominem, eumque justè punire poena aeterna propter peccatum quod commisit, quam si nunquam illud commisisset. Tollitur ergo peccatum praeteritum, quia jam neque physice neque moraliter existit. Tollitur reatus culpae & poenae aeternae, quia jam homo, propter peccatum quod commisit, non magis potest justè culpari, & poena aeterna puniri, quam si peccatum non commisisset. Tollitur ergo habituale peccatum.

Obj. 2. Peccatum habituale nulla ex parte consistit in privatione gratiae sanctificantis. Ergo, &c. *Nego ant. Prob. ant.* Nam 1. privatio gratiae sanctificantis est effectus peccati habitualis. 2. Peccatum habituale est culpa. Sed privatio gratiae non est culpa. 3. Peccatum habituale non est à Deo. Sed privatio gratiae est à Deo: est enim poena à Deo infligta propter peccatum commissum. Ergo, &c.

Resp. ad 1. prob. Gratiae sanctificantis privationem esse effectum peccati habitualis, non adaequatè, sed inadaequatè sumpti, sumpti scilicet secundum partem formalem. Unam autem partem peccati habitualis, nempe materiale, esse effectum alterius, nempe formalis, nihil verat.

Resp. ad 2. Similiter peccatum habituale esse culpam, si sumatur inadaequatè, secundum partem formalem & praecipuam, secundum quam est actus vel quasi actus humanus, legi divinae repugnans; quantum sit etiam in bono aliquo sensu culpa secundum partem materiale & minus praecipuam, nomine culpae

culpa intelligendo id omne quod culpabile est, siue ratione sui, siue ratione alterius, cuius est effectus.

Resp. ad 3. Peccatum habituale non esse à Deo secundum partem formalem; quia secundum partem formalem, est actus vel quasi actus humanus malus, & legi divinae contrarius: at posse esse & esse quasi efficienter à Deo ex affectu iustae vindictae, secundum partem materialem, quae praecise poena est, non quia est culpa, in bono aliquo sensu, seu non quia culpabilis est hoc respectu est à solo homine, à quo demeritorie ponitur.

Quaes. Quid sit reatus culpae & poenae, & in quo consistat? *R.* Reatus culpae in peccato mortali esse dignitatem ad odium, & reatum poenae esse dignitatem ad aeternum supplicium. Utraque autem haec dignitas est effectus, non effectivus, sed formalis peccati habitus, & quidem adaequatè sumpti; nam homo, postquam peccavit mortaliter, odio Dei & supplicio aeterno dignus est formaliter & immediate, quoadiu scilicet Deo non reconciliatur, tum quia graviter peccavit, tum quia graviter peccando se ipse demeritorie spoliavit ornatu, nitore & pulchritudine debita. Unde peccatum habituale se ipso formaliter & immediate est dignitas ad odium & poenam aeternam, & secundum actum peccati physice praeteriti, moraliter permanentem, & secundum privationem gratiae sanctificantis, non quidem praecise sumptam, sed ut demeritorie causatam à peccatore per actum peccati: unde per illam non intenditur, sed solum expenditur reatus culpae & poenae.

ARTICULUS II.

Quid sit poena proprie dicta.

RESPONSIO

Poenā, proprie dictā, est malum seu incommodum aliquod, naturae vel voluntati contrarium, quod eo sine infligitur, ut culpa aliqua vindicetur. Ita S. Thomas hic qu. 46. art. 6. ad 2.

Prob. Auctoritate S. Thomae loc. cit. *Est autem, inquit, de ratione poenae, quod sit contraria voluntati, & quod sit afflictiva, & quod pro aliqua culpa inferatur.* Tres igitur conditiones ad poenam proprie dictam requiruntur. Prima est, quod poena debeat esse aliquod malum seu incommodum. Ratio est, quia poena proprie dicta est aliquid afflictivum. At quidquid afflictivum est, malum dicitur. Ergo, &c. Duplex autem malum distingui potest & debet; malum culpae, & malum poenae. Malum culpae est malum simpliciter, unde non potest esse à Deo. Malum poenae est tantum malum secundum quid, & relatè ad patientem; nam relatè ad punientem, bonum est, quia punire est actus virtutis, nempe iustitiae vindicativae. Unde malum poenae potest à Deo esse.

Secunda conditio est, quod poena debeat esse contraria naturae vel voluntati. Ratio est, quia poena, proprie dicta, malum est relatè ad patientem. At talis esse non potest, nisi sit contraria naturae vel voluntati patientis. Dico autem, naturae vel voluntati patientis: nam si quis sua sponte patiat poenam aliquam pro peccato à se commissio, tunc poena non est contraria voluntati: superest ergo ut sit contraria naturae, seu naturali inclinationi, si vera poena est. Si enim quod sponte suscipitur ad expiandum peccatum, non est aliquo modo naturae contrarium, non est malum & incommodum, quod tamen est de ratione poenae.

Porro, ut poena censeatur esse voluntati contraria, necesse non est ut ei voluntas actu repugnet, sed talem esse sufficit, ut voluntas ei repugnaret, si rectè estimaretur & perpenderetur. Hinc privatio gratiae sanctificantis est gravissima poena, etiam relatè ad peccatores illos, qui gratiam Dei contemnunt; quia si eam rectè perpenderent, iacturam illius impatientissimè ferrent.

Tertia conditio est, quod poena debeat esse malum seu incommodum, quod ad vindicandam culpam aliquam infligitur. Unde proprie dicta poena supplicium vocatur, juxta illud S. Augustini lib. 1. retract. cap. 9. *Omnis poena (proprie dicta) si iusta est, peccati poena est, & supplicium nominatur.*

Quaes. Utrum aliquis aliquando puniatur pro peccato alterius? *Nota.* Poena proprie triplex distingui potest, nempe poena simpliciter, seu poena, quae pure poena est; poena satisfactoria, quae peccatum commissum expiatur; & poena medicinalis, quae non solum ordinatur ad vindicandam culpam, sed etiam ad bonum aliquod patienti procurandum. Hoc posito,

Resp. 1. Posse aliquem sine sua culpa puniri pro peccato alterius. Patet in Christo, qui omnis culpae expers, pro peccatis nostris satisfecit, gravissimas poenas subeundo. Patet etiam in iustis, qui per poenas, quas voluntarie subeunt, pro animabus in purgatorio existentibus satisfaciunt. Porro quamvis Christus non solum luerit poenas peccatis nostris debitas, sed etiam ad luendas illas se ipse obligavit; dici tamen non potest fuisse reus poenae, quia ille solus reus poenae dicitur, qui obligatur ad subeundam poenam pro peccatis à se commissis. Quod facile intelligitur ex dictis Art. praecedenti.

Resp. 2. Posse aliquem pro peccato alterius puniri etiam poena medicinali in temporalibus. Nam, ut patet v. g. ex morte parvuli, qui Davidi ex adulterio natus erat, quandoque filii ob peccata parentum rapiuntur immatura morte. Eiusmodi autem mors poena est respectu parentum, quos Deus per illam ob peccata intendit punire; medicina verò praeservativa respectu parvulorum, quos Deus per immaturam mortem, incerto tentationum, & alius huius vitae periculis intendit subtrahere. Unde tunc non tam filii puniuntur, quam in filiis parentes; quia immatura mors, ex tali intentione procurata, respectu filiorum non poena, sed gratia dicenda est; quanquam praecise, ut mors, etiam respectu illorum sit poena, propter originale peccatum inficta.

Resp. 3. Neminem propter peccatum alterius puniri poena pure vindicativa, nisi etiam ipse reus sit culpae, cui poena illa iuste possit infligi. Patet ex Script. Nam dicitur Ezech. cap. 18. *Anima quae peccaverit, ipsa morietur, filius non portabit iniquitatem patris.* Et Hier. c. 31. *Unusquisque in iniquitate sua morietur.* Et Gal. c. 6. *Unusquisque onus suum portabit.* Cum ergo Deus dicit Exodi cap. 20. *Ego sum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem,* loquitur de filiis, qui peccata parentum suorum imitantur, ob quae tamen Deus eos certis poenis temporalibus non punivisset, nisi parentes eorum prius peccassent. Sic lib. 2. Reg. cap. 14. dicitur perisse multa millia de plebe propter peccatum Davidis, non quia propriis peccatis carebant, sed quia nisi peccatum Davidis ad eorum peccata accessisset, ob illa nondum fuissent punita.

Quaes. Utrum unum peccatum possit esse, & quandoque sit poena alterius? *R.* Affirmative. Hoc enim expresse docet Apostolus Rom. cap. 1. ubi de Gentilibus sapientibus sic loquitur: *Mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium, Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, &c.* In quae Apostoli verba haec habet S. Augustinus lib. 5. contra Julian. cap. 3. *Et hic utique vides causam, propter quam traditi sunt, sine ulla ambiguitate monstratam. Dixit quippe quid mali ante fecissent, & adiunxit: Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum. Proinde praecedens est haec poena peccati, & tamen etiam ipsa peccatum, quod verbis consequentibus explicat.*

Porro unum peccatum poena est alterius peccati, non eo sensu quod propter peccatum praecedens Deus velit peccatorem in aliud incidere, ipsumque ad illud impellere vel incitare; sed eo sensu quod propter praecedens